





1703.

1. Abicht, Jo. Georg : De moralitate homagii regii
invasori praestiti.
2. Alberti, Joh. Gottlieb : De jure ecclesiarum circa
temporalia
3. Beigerus, Georgius : De hodierna laborum et curato-
rum minoribus daturam differentia.
4. Boneck, Benjamin Gottlieb : De ornamentis, quae
fiunt inter conjuges honoris causa occasione (ges
42 ff. d. de ~~inst. n. r. et. n. r.~~ inst. n. r. et. n. r.)
5. Filleus, Daniel : De Foena Rhagio, Asti-
Campiano.
6. Guelgus, Guap. Christianus : De acquisitione juris
Inbecillis.
7. Grotius, Michael Hieronimus : De fidejussore mulieris
apud Latinos sine curatore contractibus
8. Grotius, Mich. Hieronimus : De praesumptione tertii ex
hypotheca rei immobilis extrajudiciali.

1703.

9. Hauschius, Michael Sallat : De punctis morali
10^{art} Hominibus, Jo. Fried : De eo, quod Directo
non licet, licet tenes per indirectum. 2 Saentl 17
- 1703 - 1747.
11. Zenschen, Gottlieb Augustus : De piceis viduarum. 18
12. Elzigius, Gottfried Nicolaus : De clerici foro
seculari. 19
- 13^{art} Thrause, Joh. Henr : De potestate eligendi
imperatores et solas Medores restricta. 2 Saentl 20
- 1703 - 1756
14. Lange, Martinus : De obligatione solvenda
suum et sustinentes penas jure et divinis
et humanis prescriptas. 21
15. Lange, Martinus : De poena conceptibus affir
bus liberata. 22

1703.

16. Menckerus, Ludovicus: De tutore et curatore
ad usuras ex suo delicto usurarum obligato.
17. Menckerus, Ludovicus: De principe liti causa
haereditatis.
18. Menckerus, Ludovicus: De omnia proclamatione
sacerdotali.
19. Menckerus, Ludovicus: De insidiis vasalli in Jouis-
nium.
20. Menckerus, Ludovicus: Juris controversiarum theoreti-
cae praecipua decas.
21. Menckerus, Ludovicus: De jure disponendi fidei-
commissarii, religionis protestantium auctori, circa
canonicationem.
22. Mentz, Fridricus: De prima imperii inter homi-
nes origine.
23. Meyler, Johannes Maurus: Selectae forei conside-
rationes.

DE
IO ANNE RHAGIO,
AESTICAMPIANO

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ILLVSTRI PHILVREA CONCESSV

P R A E S I D E

M. DANIELE FIDLERO,
HOHNSTEINA MISNICO,

R E S P O N D E N T E

MICHAELE Lebegott Marggraff/
BLOSVICENSI MISNICO, THEOL.
STVDIOSO.

AD DIEM XXIII MAJI, C1710CC III.

PVBLICE DISPVTABITVR

H. L. Q. C.

LITERIS CHRISTIANI GOEHL

VIRIS

*Magnificis, Maxime Reverendis, Consultissimis, Excel-
lentissimis, Plurimum Reverendis &
Amplissimis &c.*

DOMINO

PAVLO CONRADO *Mitternacht* /

Reverendissimo & Sereniss. Duci Saxo-Cizensi
à Consiliis aulicis,

DN. JOH. HENR. HERMANNO,

Eidem Reverend. Principi à Confessionibus sacris, Con-
cionibus aulicis & Consiliis Ecclesiasticis.

DN. THOMÆ GROETSCHIO,

Eidem Reverend. Patri Patriæ à Consiliis & à Secretis
Feudalibus atque Judicialibus &c.

DN. CHR. GODOFR. ECHLITIO,

Sacri Consistorii Ducalis Saxo-Cizensis Assessori gravissimo,
Ecclesiæ Cathedralis & eo pertinentium Antistiti vigilantissimo,
Canonico Cizensi spectatissimo & ad D. Michaelis
Pastori optime merito,

DN. M. ALBERTO CHRISTIA-
NO LUDOVICO,

ad D. Nicolai, quod Cizæ est, Pastori vigilantissimo,

DN. PAULO CHRIST. *Mitternacht* /

ad D. Michaelis Archi-Diacono longe dignissimo.

*Studiorum meorum Patronis ac felicitatis amplifi-
catoribus nullo non tempore diligenter sancteque
colendis,*

observantia ergo

Michael Lebegott Marggraff.



PRAEFATIO.



ANNUS cum dimidio effluxit, ex quo de Græcarum Latinarumque literarum Instauratoribus, Amplissimi Viri IO. BURC. MENCKENII, D. & Prof. Ord. praesidio nixus disputavi. Neque me instituti poenituit, eo quod idonei ac graves harum rerum existimatores conatus non modo non improbarent, sed ad percolenda quoque ista studia invitarent quodammodo ac incitarent. Non diffitebantur tamen, multa tanta, quanta par est, accuratione non confecta esse, imo superesse indicia, quae arguant, a juvene, quicquid dictum, profectum esse. Ita primus omnium censebat Amplissimus Praefes, jamque in eo erat, ut omnem immutaret disputationem eamque aptiorem longe & locupletiolem efficeret. Quo in consilio defixus cum animadverteret, pleraque ita constituta esse, ut veracium scriptorum auctoritate inniterentur, a veritate certe non abirent consilium mutavit, paucisque aliter ordinatis juveni juvenilia reliquit. Aliquantum post docti viri alii, quos suo tempore indicabo, ut majorem iis, quae commentatus eram, lucem accenderent, tum per literas, tum alia ratione multa prudenter ac graviter praeceperunt. Maxime autem prolixus in nos & copiosus fuit adfectus Maxime Reverendiac celeberrimi viri, Ernesti Salomonis Cypriani, S. Theol. Prof. & illustris Athenaei Casimiriani Directoris,

ris, qui orationem Aesticampiani, quam Lipsia discedens dixit, benevole nobiscum communicavit, quod beneficium non possumus non hoc loco grati animi religione ducti commemorare. Nec praetereundus est elegantissimus quidam Vir & muneris, quo fungitur, sanctitate venerabilis, qui tum alibi, tum inprimis in diss. de *cultu Annae in Misniam inveceto* multas nec spernendas accessiones suppeditavit, ac praeterea monuit, perperam a nobis Hiobum Magdeburgum *Freibergensem* vocatum esse. Quod monitum, uti veritatis studium prorsus ac omnino extorsit, ac sua se virtute tuetur, ita libentes subscribimus, eoque magis, quod jam eo tempore, quo disputatio ingredienda erat, amplissimus Praeses mendum subodoratus & me ut sollicitius rem perquirerem, cohortatus fuerit. Auspicato tum mihi in manibus erat Andreae Molleri Med. D. Chronicum Freibergense, in quo tum de caeteris multa opportune dicta, tum vero & de Magdeburgo nonnulla adnotata reperiebam. Haec inter cum ejus epitaphium conspicerem, & haec inprimis verba legerem :

Annaeberga dedit cui genus & patriam
tempeste mendum e meo exemplari sustuli, in reliquis idem facturus, nisi divulgata jam fuissent. Non possumus tamen, quin & isto nomine Venerabili Viro gratias agamus, quod hujus occasione mendii multa eleganter differere ac monere voluerit. Caeterum operae pretium duximus, si ipsinos quae olim dictis adjici possent, indicarem, & doctissimorum hominum sententias de iis rogarem. Cujus instituti specimen jam damus, quando de Io. Rhagio Aesticampiano dicere & vitae partem enarrare instituimus, subjuncta, quam Max. Rev. E. S. Cyprianus describendam nobis dedit, oratione. Rogamus vero & quaesumus immortale ac sapientissimum Numen, quo institutum hoc felix fortunatumque esse jubeat.

I. N. J.

I. N. J.

§. I.

Ioannes Rhagius, de quo referre institui, cognomento Aesticampianus natus est in inferiori Lusatia, sui que fama nominis adeo patriam regionem nobilitavit, ut unus is maxime inter eruditos eo nomine celebretur.

§. II.

Et quamvis, si confitendo inficiari nolumus, plures & inferior & superior Lusatia protulerit viros doctos, a quibus patria literarum gloriam repetat: nemo tamen facile quenquam nominet, qui pari modo ante Aesticampianum exsplenduerit, & difficili eo ac adverso tempore tanta doctrinae ac virtutis ornamenta comparaverit.

§. III.

Nam quod de Valentino Trozendorfio Michael Neander, Gregorius Bersmanus & alii tradunt, id ejusmodi est, ut ad aetatem Aesticampiani non accedat & opportuno magis emendatoque tempore acciderit. Non diffiteor tamen, Trozendorfium inter eruditissimos Lusatiae viros referendum esse, ut pote de quo pronunciarit Philippus Melancthon, fuisse ad regendas scholas non minus natum, quam ad castra regenda Scipionem olim Africanum. Nec praetereo, quam egregie Trozendorfius de Budisina, fertili illa praestantium ingeniorum nutrice existimari, adeo ut, referente C. Peucero, dicere solitus fuerit, vix se reperisse ullum oppidum, quod doctorum virorum numero Budisina superet. At cum & haec multo tempore post facta fuerint, quo loco & numero habenda sint facile apparet. Mich. vero Neander, elegantissimus Vir & exterorum quoque elogiis celebratus, tantoque nobilior inferioris Lusatiae civis, cum ne Trozendorfium quidem aetate aequet, multo minus nobis opponi potest.

§. IV.

Sed propius intueri libet Aesticampianum nostrum, qui Sommerfeldae natus est, atque inde etiam Aesticampiani cognomen traxit. Ea quippe tum usu recepta erat consuetudo, ut docti viri a patria plurimae dicerentur, idque cognomen prae aliis retinerent, uti quamplurimis exemplis comprobavit doctissimus Vir, Christianus Schlegelius in diss. de vita Georgii Spalatini.

§. V.

Ortum ipsius refero ad annum sexagesimum supra millesimum quadringentesimum, uti ex ejus epitaphio recte, ni fallor, ita conficio. Mortuus est Vitembergae pridie Calend. Junii cōso lxxx sexaginta annos natus (expressis namque verbis ibi id asseritur: Jam sexagenos complecti vividus annos) unde subductis numeris efficitur, anno supra millesimum quadringentesimum sexagesimo, atque adeo decem annis post Capnionem natum esse.

§. VI.

Incidit proinde aetas in ea tempora, quibus tota fere Germania verum literarum cultum ignoravit, & tenebris tum velut involuta fuit, licet aliquoties ipsis affulgens aliunde lux & antea & tum maxime interitum minata fuerit. Quod ipsum arguit, Aesthampianum duro difficilique initio usum atque iter confragosum maxime & quod eo tempore pauci sine casu & prolapsione confecerunt, ingressum esse. Quamquam quo vitae institutionisque genere a puero usus fuerit, quibus innutritus praeceptis, sigillatim enarrare non possim, quum auctores, quos hac de re consulere mihi licuit, nihil desinant, & nemo, quoad ego memini, vitam ejus peculiari scripto exposuerit.

§. VII.

Id non obscuris indicis comperi in Italia studiorum causa ipsum versatum & doctos eoque tempore florentes viros studiose & perutili, quod exitus docuit, consilio audivisse. Et erat sane eo tempore Romae, qui Germanis imprimis bene cupiebat, Jacobus Aurelius de *Questeberg*, Freiberga Misnicus, Decretorum Doctor & Brevium Apostolicorum Scriba, quo titulo seipsum ornat in epistola A. 1490 ad Reuchlinum perscripta. Is cum & doctrina abundaret & praesidijs ad promovendam rem literariam amplissimis instructus esset, utro quoque & libens veros literarum aestimatores adjuvabat & ex Bibliotheca sua, quae eos ornare poterant, depromebat. Expertus hoc Capnio est, qui non auxilium modo ab eo contra furiosos Monachos petiit, sed exquisitissimos quoque codices, Athenaei nempe, contrariorum Aeschini & Demosthenis orationum, nec non Procli &c descriptibendos accepit. Et Procli quidem a Reuchlino descriptus codex postea in Moguntinam Bibliothecam delatus est, quem *μαρτυρία* *συν* *εις* *την* *την* *Πολεμαχ* *τετραβιβλον* continuisse verosimile est, quando quidem eam ex Moguntina Bibliotheca edendam curavit Hieronymus

ronymus Cumerstadius, Canonicus Misenenfis & Merseburgensis. Cum igitur Questebergio, ut relatum legi, familiariter usus fuerit Aesticampianus, quae commoda & ornamenta sibi paraverit, facile intelligitur, eo maxime, quod liberalis adeo & beneficus erga Germanos in Italiam venientes extiterit Questebergius, ut opes suarum causa profuderit, uti P. Albinus & alii referunt. Nec parum forsitan eo contulit Questebergius, ut Laurea a Pontifice Romano donaretur Aesticampianus, quae donatio in epitaphio Aesticampiani commemoratur:

Laurea Germani viridans Tibi Caesaris una est
Altera Romulei munere Pontificis.

§. VIII.

Sed alias quoque peragrassae regiones, & uti ipse in oratione loquitur, maria, & terras lustrasse, constat. Multis proinde doctrinae copiis suffultus in variis disitisque locis docendi munia iniit, quod in eodem epitaphio traditur:

Rhetoricen, Sophien, vatum monumenta professus

Annis viginti plusve minusve tribus

Danubius, Rhenus testatur & Odera, & Albis

Sprevaque cum docta Sequana Gallus aqua.

Sed ista sunt paulo obscuriora, neque a me idoneis scriptoribus destituta explicari possunt. Id moneo, per Albim sine dubio Academicam Vitembergensem denotari, ubi extremo vitae tempore docuit Aesticampianus, prout suo loco referemus. De Rhenō vero quod dicitur, id de Colonia Agrippina accipiendum esse arbitror, ubi ad tempus humaniores literas tradidit. Lucem huic rei accendit Cornelius Henricus Agrippa ab Nettensheim in epistola ad dictae Urbis senatores ac Consules perscripta, in qua de Theologorum Colonienfium incepestivo furore conqueritur, unde nonnulla adducere operas pretium duxi: *Deinde qua infelicitate, inquit, Erasmus Roterdamum, orbis Christiani lumen sordidit eorum commaculare, congressi sunt, & qua nequitia Hermanum Comitem Nuenarium, illustrem & doctissimum virum persecuti sunt, & qua universitatis Vestrae iactura Petrum Ravennatem, celeberrimum J. U. D. atque lectorem splendidissimum pepulerunt, vos non puto oblitos, quin & jamdiu ante Ioannem Aesticampianum, Virum doctrina & moribus insignem, qui in vestra civitate Plinium, cum utilissimam tum necessariam lectionem profitebatur non solum*

solum scholis publicis secluserunt, sed & tanta invidentiae rabie persecuti sunt, donec ipsam civitatem relinquere adegerint. Unde apparet, quae fortuna usus fuerit Coloniae Aesthampianus, & quibus conflictatus malis.

§. IX.

Nihilo minores acerbitates ac injurias Lipsiae pertulit, quo anno circiter octavo supra millesimum & quingentesimum venit eo certe animo, ut quendam velut bonarum artium mercatum indiceret & Lipsiam optimarum rerum accessione locupletaret. Quem animum, quoad potuit, servavit, adeo ut a sententia, quam fixam statutamque habebat, non nisi vi abduci potuerit. Sed qua diligentia & alacritate coepta peragere instituerit, ipsum loquentem audiamus: *Quatuor indies aliquamdiu horas praelectionibus dedi, cum alias etiam partim repetitionibus & inculcationibus consumerem, partim autem commentationibus & versibus pangendis contererem adeo ut vix aliquid temporis vel victui sumendo, vel somno capessendo, vel officiis amicorum exequendis reliquum mihi fuerit.* Et sane optimos quosque scriptores produxit ac enucleavit studiique recte & veterum more ingrediendi auctor fuit. Titum nempe Livium praelegit, & Plinium Majorem, quem Germaniam ante se vix cognitum habuisse, ait, ut ut is in Italia Veronae 1468, Romae & Parmae 1470. & Venetiis 1472. editus fuerit. Porro explicavit Plauti comoedias, Horatii carmina, Virgilii Aeneida, Tullii epistolas, tres de officiis libros, tres de oratore, orationes tres, Cornelium Tacitum, Hieronymi epistolas, quibus pertractatis Auli Gellii Noctes, & Prisciani opus, atque Augustini de doctrina Christiana libros quatuor accuratis & meditatibus commentationibus illustrare apud animum constituerat, nisi urbe excedere coactus fuisset. Factum inde, ut Martiani quoque Capellae Rhetoricam infeliciter, ut ait, *impressam secum continere* necesse habuerit.

§. X.

Videor autem mihi perspicere in Aesthampiano peracere ingenium, laboris patiens, nec satis cautum adversus invidiae artes; ingenium tamen ac rectum, nihilque prorsus calliditati tribuens. Quare cum imperitos Monachos liberius paulo admoneret, ac sua virtute frui vellet, concitatis inimicis fructus hujus instituti peramaros, tandemque cum exilii acerbitate permixtos tulit.

§. XI.

Difficile enim ac periculi plenum erat istos coarguere, qui rerum summam eo tempore tenebant & apud Principem plurimum valebant. Quamvis enim Georgius Dux Saxoniae a literis non abhorruerit *, imo Aesticampiano stipendium decreverit ** & cum Lipsia eiciendus esset preces pro eo interposuerit *** nimium tamen Monachis indulgit, adeo ut ad eorum voluntatem non raro se composuerit. **** Literis certe a puero innutritus fuit, unde frequens eius mentio in Erasmi ac Sadoleti epistolis. Et doctrinam sane produnt, quae manu sua scripsit composuitque, & quae Dresdae adservantur, diversa eius scripta, uti refert Io. Georgius Wilckius, illustris Gymna-

B

fii

* Literatos aestimasse patet ex inde, quod non multo post Richardum Crocum ut literas Graecas doceret, Lipsiam acciverit, ut reliqua a Davide Peifero memorata taceam.

** Ipse hoc memorat in oratione: *Habeo & ago gratias Principi Georgio, qui me beneficentia affecit sua, utinamque eam, ut videri voluit, accumulasset.* Et paulo ante memineat *Principis stipendium dantis,*

*** Huius rei mentio quoque fit in epistolis obsc. Virorum: *Et quod est mirabile, etiam princeps petiit pro eo, & nihil iudicavit: quia dixerunt ad Ducem, quod oportet servare statuta Universitatis.*

**** Id quod in primis colloquium Lipsiae inter Io. Eccium, & Martinum Lutherum nec non Andream Caroloftadium institutum restatur. Quamvis enim colloquium dictum repugnantibus, uti Peiferus refert, Theologis Lipsiensibus, Matthia Hanensi (Per hunc Peiferus procul dubio intelligit D. Matthaeum Henning, Hayna Misnicum) Hirsbergio, Konigshofio (is alias dicitur M. Nicolaus Appel von Königsbessen) Suevenio, Tengersheimio, Fraendientio & Lungenscheidero indixerit; attamen benigniorem se praebuit Eccio quam Luthero. Conf. epistola P. Mosellani ad Iulium Pflugium, quam Ienae Anno 1618. edidit Balthasar Gualterius S. Linguae Professor & denuo evulgavit vir quidam doctus in *unschuldigen Nachrichten An. 1702.*

fii Misenenfis quondam Director ac idoneus harum rerum cenfor in Nepote Saxonico pag. 664, 665. Omnium maxime vero tum apud Ducem Georgium gratia valebat Hieronymus Emferus, S. Canonum Licentiatuſ ac ipſius Ducis Secretarius, qui Monachos, qua poterat, re ac operafario tuebatur. Cumque in Academia viri humaniorum literarum expertes munera gerent, non poterat non iis, quoties in vitium diceret, exofus eſſe Aefticampianus.

§. XII.

Vivebant autem tum Lipſiae cum alii, tum in primis Magnus *Canis* ſeu *Hund*, *Artium Doftor*, *Medicinae Baccalaureus*, *Theologiae Magiſter*, *Collegii Ducalis Academici Collega*, *Profeſſor & Canonicus Misenenſis*: **** Hieronymus *Dunckerſchein* de *Ochſenfurt* S. Theol. Doftor: M. Andreas *Hund*: M. Joannes *Sperberus*: M. Andreas *Probf*, *Delitianus* ***** qui omnes Aefticampiano inſultarunt, datoque nocendi loco nihil eorum, quae ad opprimendos eius conatus pertinere videbantur, omiferunt.

§. XIII.

Quibus tantum abeſt, ut ceſſerit Aefticampianus aut victas manus dederit, ut potius cauſae bonitate fretus acrius eis reſtiterit & quantum detrimenti reipublicae literariae adferrent, publice & liberioribus paulo verbis indicarit, Quo ipſo diſtin-

**** Iſtis titulis ipſum ornat Anonymus a Madero editus.

***** Vulgo dictus eſt M. Andreas *Delitſch*. De eo in epiftolis obſcurorum virorum iſta leguntur: *Et dixit M. Andreas Delitſch*, qui eſt etiam alias bonus poeta, quod videtur ſibi, quod Aefticampianus eſt in Univerſitate tanquam quinta rota in curru, quia impedit alias facultates, quod ſuppoſiti non poſſunt bene in iis qualificari.

distinxit se a Georgio Helto, doctissimo caeteroquin viro, qui callide instituti sui rationes moderatus est ac verſutia uſus ad illorum mentem ſe compoſuit. Refert hoc in vita Eobani Heſſi Camerarius his verbis: *In meo autem magiſtro Georgio Helto quum neque eſſet ingenium infelicius quam in quouis alio, ſtudium vero & induſtria haud ſcio an admirabilior, quam in illo, tamen & moderatione animi & metu quorundam, quibus cum obnoxium reddebat inſtitutum vitae genus, coercebatur, ne familiariter cum iis ſe coniungeret, qui politi & exculi literis tantum videri volebant.* Nam quod aliquando hi etiam liberius exultarent, ut ſit, grandiores natu, qui aliam rem & doctrinam eſſe animadvertent, quam de qua ad dignitatem & emolumenta ipſi perueniſſent, offendi & ex his nonnulli irascei atque repugnare novitati, quidam etiam inventi, qui invidia & odio exſtimularentur & ſtudiis eſſent iniquiores. Unde, quae illorum temporum facies fuerit, dilucide apparet.

§. XIV.

Idem inſtitutum ſi tenuiſſet Aeſticampianus & ſibi, quin liberius in illos diceret, temperaſſet, quieta ac tranquilla vita frui potuiſſet. Neque exiſtimo deſuturos fuiſſe & aucto-ritate & opibus valentes, qui res ipſius firmiſſent paratiſque ſubſidiis magis magisque muniviſſent. Florebat enim tum Martinus a Lochau † S. Theol. Doctor, & Coenobii Vetero Cellenſis Abbas, inſignis literarum fautor & vario in Academia Lipſienſem †† meritorum genere excellentiſſimus. Nec valebat non multum apud Ducem Georgium Ioannes Henning,
B 2
S.

† Conf. Anonymus Maderi n. 67. Georg. Fabricius Annal. lib. III. Hieronymi Emſeri dedicatio operum Simonetae, & Petri Mollani dedicatio Claudii Mamerti.

†† Vid. Chronicon Lipſienſe Zachariae Schneideri, Medicinae Licentiatii & Profeſſoris quondam Lipſienſis.

S. Theol. D. & Canonicus Misnensis, qui Lipsiae etiam sacras literas tradidit, & suae aetatis Canonicos doctrina atque eruditione, pronunciantem Georgio Fabricio, longissime post se reliquit, tantoque amore literarum studia prosequutus est, ut Ambrosium Franciscum; postea Scholae Schneebergensis Rectorem Lipsiae suis sumptibus aluerit. Ab utroque certe horum re & consilio iuvari poterat.

§. XV.

Enimvero cum acriter, quae coeperat, destinata perficeret Aesticampianus &, quam sibi concessam arbitratur, libertati indulgeret, auditorium, ne deinceps ibi commentaretur (nam concessu Academiae publice quoque bonos auctores interpretabatur) oclusum; ††† ipse autem variis machinis oppugnatus est. Quod cum accuratius secum pensitaret, consilium discendendi cepit, dictaque oratione †††† Proceribus & civibus Academiae valedixit. At vero cum in memorata oratione in Theologos, Ictos, Medicos ac Philosophos paulo acerbius inuectus fuisset, convocato Senatu Academico, ut instituti causa exponeret, accitus & paucis diebus post ad decennium relegatus est.

††† Expressis verbis in orat. dicit, fuisse, qui se odio & insidia nefarie sint persecuti, quique se nec loco nec consilio nec sermone quidem suo dignum putaverint: qui scholas publicas praeculerint, vel alios lectores subordinarint, vel scholasticos suos ne se audirent nequiter impederint

†††† Hanc orationem, uti in Msto Max. Rev. Cypriani reperi, his verbis indixit: Joannes Aesticampianus hinc emigraturus pro more suo universis huius Gymnasi magistratibus & subiectis suipremum vale dicit. Dignantur itaque huc adesse cuncti, qui non tam hominem (Poeta enim est) quam veritatem, quam Deus est, & amant & venerantur.

§. XVI.

Sed quae de Oratione atque exilio, quo multatus est, diximus, illa ductis ab ultimo capite initiis enarrantur in *Missa Passione Aestivampiani secundum Ioannem*, quae Mito celeberrimi Cypriani annexa erat. Eodem fere modo referuntur in Epistolis obscurorum virorum, unde ista excerpere ac huc transferre nolimus. Obiter contra hanc rem tangit Ioachimus Camerarius in vita Eobani Hessi, cuius verba alio loco attulimus.

§. XVII.

Eo vero quod in *Passione Aestivampiani* refertur Rectore Io. Sperbero eiectum esse Aestivampianum, intelligitur quo tempore ista evenerint. Sperberus enim per aestivum * Anni 1511 tempus Academicos fasces gessit, quem deinde excepit D. Paulus Schilter, Plaviensis. Idem expressus annus erat in Mito, quo usi sumus, nisi quod literae paulo aliter efformatae arguebant, ab alio, quam qui orationem scripserat, appositum esse. Docuit vero fere per triennium Lipsiae, uti ipse in oratione indicat.

§. XVIII.

Miror cæteroquin, nec Davidem Peiferum, qui de Lipsia commentatus est, nec Tobiam Heidenreichium I. V. D. atque Zachariam Schneiderum, quorum uterque Germanica lingua Chronicon Lipsiense composuit, eorum, quae Lipsiae Aestivampiano acciderunt, meminisse. In spem proinde venio, fore ut haec ac reliqua rite explanet Reverendus Vogelius, Verbi Divini prope Lipsiam Minister, qui multum curae ac cogitationis hucusque intendit, ut limatius Lipsiae Chronicon

B 3

icon

* Eodem tempore Sapientiae studiis praefuit M. Andreas Hund, Magdeburgensis, cuius supra mentionem fecimus.

nicon conficiat, resque eo pertinentes omnes colligat apte
& persequatur.

§. XIX.

Expeditis ac confectis illis, quae de Aesticampiano Lip-
siae versante dicere nobis visum est, ulterius progrediendum
explicandumque esset, qua fortuna reliquo vitae tempore
usus fuerit, & quam vitae munerisque institutum tenuerit.
Sed cum latissime istud pateat nec definiri rite queat, nisi vo-
catis in auxilium optimis idoneisque, quibus iam destituimur,
scriptoribus, tum eiusmodi esse intelligitur, ut hoc loco &
tempore a nobis suscipi non possit.

COROLLARIA.

I.

Non opus est Matth. II. V. II. di-
ctionem ἀνοίγειν θησαυρούς per figuram
contenti pro continente explicare.

II.

Vox *equidem* verbis secundae
& tertiae personae recte iungitur.

III.

III.

Recte existimant, qui Metaphysicae obiectum *ens quatenus a materia ratione tantum, vel re & ratione simul abstractum*, constituent.

IV.

Unde prono & facili nexu efficitur, Pnevmaticam Metaphysicae partem esse.

V.

In propositione formaliter negativa totum praedicatum removetur a subiecto.



III

Resse existimant quod Metaphy-
sice obiectum est quatuor in ar-
tibus ratione tantum, scilicet in
theologia, philosophia, medicina
et iure.

OR IV

Unde patet & facile notari
quod Philosophia Metaphysica
partem esse.

V

In propositione formaliter nega-
tiva non predicatur inueniri
a subjecto.



ORATIO
IOANNIS AESTICAMPIANI
POETAE LAVREATI.

IN STUDIO LIPSENSI,

ANNO 1511.



NE expectetis a me, viri Germani, orationem compositam & festivam, auresque vestras, ut saepe ante, leniter ac suaviter demulcentem, diuturna siquidem mora, qua hic pene confectus sum, mutavit id omne, quod in me vel festivum fuit vel jucundum: sed inartificiosum potius & fortem & verum quendam sermonem diligenter audite, qui vos, ut veri estis veritatis valde studiosi, magis certe afficiat, cum praesertim ea, quae dicturus sum, vel sensu oculorum, vel aurium iudicio antea longe aut vidistis aut audistis, quod utrumque etiam ad brevitatem erit accommodatius, cum praesens temporis angustia verborum non patitur loquutionem. Volo itaque (si me benigne audieritis) breviter vobis ea explicare, quae quibusdam (qui & studii mei rationem ignorant, & voluntatem in hoc gymnasium nesciunt) vel involuta sunt visa, vel penitus inania. Primum autem eam, quam in plerisque vobis erudiendis operam fere per triennium navaverim, commemorabo: deinde auctores illos, quos hoc tempore privatim ac publice enarraverim, recensabo: postremo vero & his, qui me insectati sunt conatusque studiorum meorum honestissimos vel fraudulenter vel violenter impediverunt, gratias agam & habebō; Si vero commode poterō, abunde etiam referam. His quoque, qui me libenter & fructuose audiverunt, humaniter pieque foverunt, gratias tantum agam & habebō. Referendi enim mihi locus non est hic amplius: migrabo enim hinc, quoniam ita vultis, propediem. Cura itaque summa nobis, viri & adolescentes Germani, semper fuit, labor pene inexhaustus, ut vos omnes, qui me discendi causa adiretis, accurate & iuste instituerem, a meque & eruditissimos & opti-

& optimos viros dimitterem, quo, tum vobis honori, tum vero patribus vestris emolumento, tum religioni Christianae ornameto esse possitis. Ad quod bene riteque perficiendum & maria & terras lustravi, dies atque noctes vigilavi, patrimonium meum absumsi, frequentiam hominum vitavi, sodalitates declinavi, pericula corporis atque animi subivi, voluptates denique ipsas (quibus alii omnem fere aetatem impertiunt) tanquam pestem animi laboriose valde effugi, bellumque his indixi perpetuum, non equidem ob naturae odium (quandoquidem sua voluptas quemque trahit) sed ut patriae, ut ingenii, ut moribus vestris vel tantillum prodessem. Quatuor indies aliquamdiu horas praelectioni vestrae hic dedi, cum alias etiam partim repetitionibus & inculcationibus consumerem, partim autem commentationibus & versibus pangendis contererem, adeo ut vix aliquid temporis vel victui sumendo, vel somno capessendo, vel officii amicorum exequendis reliquum mihi fuerit, quae profecto omnia non quaestus alicuius aut famae gratia (utrumque enim est mihi permediocre) sed studio tantum de vobis & patria bene merendi factum esse, scitis fere omnes. Quotquot autem sunt aut adolescentes, aut aetate jam profecti, qui ex labore & industria mea vel doctiores semper facti sunt, vel meliores redditi, & Deus scit, qui & nobis & ipsis tantam gratiam dedit, & vos non ignorare debetis, qui eos tum vidistis, tum etiam audivistis. Auctores certe (quod secundum propositi mei fuit membrum) eos vobis enarravi, qui utrumque copiose efficerent, & quibus nec Italia nec Graecia vel eruditores vel sanctiores aut habuit, aut unquam tam brevi temporis spatio perlegit. Atque ut a principio exercitationis meae, qua hic usus sum, ordiar, magnam illam Plinii Majoris epistolam, qua de rebus naturae omnibus ad Titum Vespasianum, & Imperatorem clarissimum & virum optimum praefatur, verbis equidem elegantissimis, sententiis gravissimis, historiis abditissimis confertam, & publice & gratuito sum interpretatus. Qua recte intellecta iter est patefactum ad omnia pene naturae arcana penetranda quam latissime. Nec vero contentus ea, libros etiam ipsos, qui sunt de homine, de coelo, de anima-

nimalibus infectis, de peregrinis, de patriis arboribus vobiscum ingressus sum, omniaque in his strenue & summa cum voluptate tractavi & demonstravi, eosque ita exposui & declaravi, ut non modo hi qui me audiverunt, sed etiam alii qui ab his commentariola emendationesque commodo acceperunt & descripserunt, iam & intelligere & discipulis suis legere sine reprehensione aut obstaculo ullo possint, tantumque meo ingenio & labore sunt adepti, ut ex eo auctore, quem tota Germania ante me vix cognitum, auditum, nedum lectum habuerat, tum lucrum tum honorem acquirerent locupletissimum ac splendidissimum; tametsi ingritudinis vitio sunt obnoxii & quidem turpissimo. Sed viderint ipsi. Prius quam autem Plinii libros auspicarer, Titi Livii historiam, quam ab urbe condita suavissimus ille ac eloquentissimus historiographus repetiit, feliciter sum exorsus, tantumque in ea laborum ac vigiliarum consumsi, ut tres eius decades ad finem usque perlegerim, & privatim denique repetitam a carcere (ut dicitur) ad metam usque pertexerim. Quanta ibi (Deus bone) rerum copia, quanta verborum ubertas, quanta aurium voluptas, quanta denique nobilium animarum institutio fuerit, hi qui eandem acceperunt & sciunt & prae se ferunt, propalamque dictitant, nullo se ex auctore, qui unquam Lipsi est lectus, plus & delectationis & fructus percepisse. Quid Plauti comoedias referam, quibus nihil venustius, nihil falsius, nihil eloquentius apud omnem vetustatem inveniri potest. In illis enim & victus antiquiorum modo parci, modo profusi sunt expressi, & mores integri ac corrupti sunt picti: dicta modesta ac petulantia sunt descripta: quid denique rei vel privatae vel publicae aut obești aut prodest, abunde est ostensum. Tanta autem & Latinitate & affectione explicata sunt omnia, ut vel Musae quidem, si Latine loqui vellent, aptius festiviusque exprimere non valuissent. Taceo Horatii carmina omnium fere generum, quae ad Lyricorum Poetarum monumenta aperienda clavem quendam studiosis praebent, & ad Sacros ecclesiae Christianae hymnos reverenter adendos viam planam ac manifestam demonstrant. Omitto Vergilii Aeneida, in qua vita & activa & contemplativa poetico sub fig-

figmento penitus demersa, & tandem per me est in lucem extra-
cta. Martiani Capellae Rhetoricam non commemoro: Infelici-
ter enim impressam mecum adhuc contineo. Praetereo etiam
Marci Tullii epistolas, tres libros de officiis, tres de oratore, ora-
tiones tres, quas in communem studiosorum Scholasticorum u-
tilitatem privatim explicavi. Fere mihi excidit Cornelius Tacit-
us, qui vobis majorum vestrorum origines, cibos, arma, mores,
leges, ritus, victorias, triumphos aperuit, in patriamque vestram
pene peregrinos & exules vos tandem reduxit. Divi Hierony-
mi epistolas de industria pertranseo, longe siquidem maior est
auctor ille & dignior, quam ut in ordinem cum aliis a me iam
enumeratis cogi debeat. Virtutes namque non humanas tan-
tum, sed etiam divinas, quocunque in statu sit homo, liberaliter
ei proposuit, expressit, ac sua illa torrenti & affluenti dicendi & vi
& copia penitus infudit, ut nequitas homini sit praefertim Christia-
no admonitionibus ac praeceptionibus eius non obtemperare,
itaque vitam suam instituire, ut & hominibus & DEO immor-
tali utilis ac grata sit futura. In manibus praeterea mihi
erant perlucidae Auli Gellii Noctes: laboriosum Prisciani o-
pus & quatuor beati Augustini de doctrina christiana libri,
quos hoc anno, Deo bene volente, Principe stipendium dan-
te, universitate locum concedente, in publicum studiosorum u-
sum libenter protulisset; sed cum hominibus tum Deo (ut ar-
bitor) visum est aliter, cui certe nullae humanae opes obsistunt.
Cecinit enim sacratissimus ille vates: Domini est terra & pleni-
tudo ejus. Et alibi: Deus regit me, nihil mihi deerit, in loco
pascuae ibi me collocabit. Explicatis iam auctoribus, quos bo-
no publico vobis hoc triennio exposui, expositurusque eram, si li-
cuisset, multo plures, venio ad gratiarum & agendarum & habenda-
rum partem hujus mei sermonis tertiam, quae longe est difficilli-
ma tum propter diversas auditorum personas, tum ob contrarios
animorum affectus. Nam quis est tam prudens tamque exerci-
tatus, ut vel pro beneficio vel maleficio personae cuique in tanta
praefertim hominum multitudine debitas agat vel habeat gratias,
cum eorum quidem opera sint manifesta, corda autem occulta
(quae solus Deus novit) In hac itaque difficultate quo me ver-
tam

tam nescio. Si enim gratias non agam & Deum rerum omnium conditorem, & homines bene de me meritos offendam. Sin agam, male meritos ac ingratos in pertinacia ac perfidia sua fovebo. Nemo enim vitia pleno ore laudata facile deponit. Utar tamen hoc temperamento, ut nemo ex hoc loco, nisi inimicus veritatis fuerit, vel tristis vel sine gratiis discedat. Habeo ergo & ago gratias Deo immortalis, qui me salvum & incolumem hic tam diu adesse voluit: Principi Georgio, qui me beneficentia affectu sua, utinamque eam, ut videri voluit accumulasset, Aesticampianus profecto vester tantus sumtus hic frustra non profudisset, nec vos tam inani spe delusisset: civibus, qui me hospitio & victu sustentarunt, atque his praeterea (orandum enim est pro persecuentibus & calumniantibus nos, nedum gratiae agendae) qui me odio & invidia nepharie sunt persecuti, quique me nec loco nec convivio, nec sermone quidem suo dignum putaverunt. Qui scholas publicas praecluserunt, vel scholasticos suos, ne me audirent, nequiter impediverunt. Hoc autem non mea culpa (neminem enim lacesivi, nec cuiquam nocui) sed sua natura & consuetudine jam diu inveterata ac roborata, ne dicam perversa, ac impia sua voluntate in me commiserunt. Qui autem illi fuerunt? mihi eos nunciare non est necesse. Ipsi enim sibi consci sunt & vos plerique eos novistis. Sed quis est, qui ex vobis submurmurat quasi eos nesciret, qui Poetas non amarent? Heus tu? te enim appello qui istuc sedes vis eos scire? annuito audire te velle. Quatuor sunt facultates, quas ita forte vocas, quia habitu sunt non actu poetarum amici? Dic nomina inquires? nomina actutum. Sunt Theologi, certe Theologi sunt. Theologi & docti & probi viri sunt, qui non magis Poetarum carmina quam Pharisaicorum peccata odio habent. Quis hoc negat? Sed te quaeſo dic mihi, quare alios peccatores & publicanos ad convivia sua vocant, Poetas autem ad prandia sua pontificalia nunquam invitant, timent sibi ne plus se forte de meliore aut bibant aut edant, quid edant? vivant Poetae siliquis & pane secundo. Sed etiam istos (si tamen ita vis) sine contumelia dimittamus, ne commoti vobis irascantur, maleque nos tractent, habent enim potestatem & di-

¹⁵⁷
¹⁵⁸
& dimittere & cruci adfigere, quos volunt. Sunt deinde Juris C
consulti, qui cum recte facere sciunt, raro tamen (excepto uno aut
altero) faciunt, Poetamque, qui vel eorum discipulos non aniles
fabulas, ut pessime interpretantur, docet, sed ad intelligendas le-
ges aptos facit, neque in auditorium suum admittunt, neque ad
virtulationem suam introducunt, verum facebant & illi, possunt
enim absolvere & damnare. Sequuntur Medici, qui quidem B
Poetam invitarunt, non tam amore aliquo, quam ostentatione
mera, quo se illi loco tanquam digniores praeferrent. Quasi ve-
ro sordidae ac coquinariae medicinae divina nostra ac sacrosan-
cta Poësis longe sit postponenda. Cum Romana civitas Poeti-
cam semper; illam vero Graeculam artem nunquam exercuit.
Sed missos etiam eos faciam, qui Poetam suis portionibus vel tuta-
ri vel ad orcum dimittere queunt. Restant Philosophi, qui me A
partim benevole audierunt: partim viliter contempserunt; pars
autem prima fuit minima, secunda maxima. Ago tamen eis gra-
tias omnibus: vel quod me ad prandium invitaverunt semel;
vel quod invidentia sua & obrectatione me ad recte vivendum
& fortiter dicendum saepius compulerunt. Actis autem gratiis
his, qui non meruerunt, agam deinceps illis, qui & animo & re
meruerunt, ut sunt viri illi & scholastici, qui me ex animo diligunt
bonisque suis, si necesse fuerit, libenter adjuvant. Sed cura &
labore meo tam cultos esse factos meminerint, ut iam alios tum
hic, tum alibi ingenuè possent erudire. Eosque adhortor, ut id
sibi de me persuadeant, quocumque in loco sum profecturus vel
mansurus, me ipsis cura, opera, re denique familiari nunquam
defuturum. Cogor enim abire hinc, quia Scriptura dicit: cum
autem persequerentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Nec hinc
quidem ob insitam ingenii hebetudinem vel animi turpitudinem
(cuius hypocritae illi Poetas omnes insimulant) abire cogor:
specimen enim utriusque dedi non vulgare, sed sola malevolen-
tia, improbitateque quorundam, qui vobis (o nobilissimi scho-
lastici) superbe dominantur a videque pecunias vestras expilant,
vosque a recta loquendi via modesteque vivendi regula suis & in-
sulis sermonibus & luxuriosis conviviis avocant ac seducunt, ad
quos

quos, si non coram adessent, divini eloquii verba (melius enim ea
intelligerent quam haec nostratia) paucis immutatis rectissime
dici possent: Vos quidem oportebat primum loqui verbum La-
tinitatis, sed quoniam repellitis illud & indignos vos judicatis
Romana eloquentia, ecce converto me ad gentes vicinas & bar-
baras. Quem enim poetarum eloquentum non sunt persecuti
patres vestri, & quem vos ludibrio non habuistis, qui ad vos ex-
poliendos quasi coelitus sunt demissi? Nam ut e multis paucos re-
feram, Conradum Celtin pene hostiliter expulistis: Hermannum
Buschium diu ac multum vexatum ejecistis: Joannem quoque
Aesticampianum variis machinis oppugnatum tandem evertitis.
Quis tandem Poetarum ad vos venit? Nemo hercle, nemo cu-
ius modo ad aures virtutis vestrae fama pervenerit. Inculti er-
go jejuniue vivetis foedi animis & inglorii, qui vel, nisi poeniten-
tiam egeritis, damnati omnes immoriemini. Sed hoc non erat
instituti mei dicere, quod iustus animi dolor & vehemens verita-
tis studium extorsit. Parcite itaque viri Germani, parcite dolori
meo iustissimo & veritati languidissimae parumper indul-
gete, ut Deus omnipotens peccatis indulgear
vestris, amen.

D I X I



vd 18

ULB Halle
005 362 261

3







Dpl

IV 190
170315

DE
IOANNE RHAGIO,
AESTICAMPIANO

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ILLVSTRI PHILVREA CONCESSV

PRAESIDE

M. DANIELE FIDLER O,
HOHNSTEINA MISNICO,

RESPONDENTE

MICHAELE Lebegott Marggraff/
BLOSVICENSI MISNICO, THEOL.
STVDIOSO.

AD DIEM XXIII MAJI, CIO ICCC III.

PVBLICE DISPVTABITVR

H. L. Q. C.

LITERIS CHRISTIANI GOEZL.